

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5028

Auteur(s) : Eugène III [pape]

Bénéficiaire(s) : Richard, Bernay, Notre-Dame (abbé)

Bénéficiaire(s) : Bernay, Notre-Dame (abbaye)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1145, 7 avril

Lieu d'émission : Civita Castellana

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Le pape Eugène [III] prend l'abbaye Notre-Dame de Bernay sous sa protection et confirme les biens de ladite abbaye.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 35, p. 99-102.

Indications

Jaffé Philippe, Wattenbach Wilhelm, *Regesta pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII* 2^eéd., Leipzig, Veit, 1885-1888, 2 vol., n° 8735, t. 2, p. 22.

Texte établi d'après a

Eugenius episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Richardo abbati de Bernayo eiusque fratribus tam praesentibus quam futuris regularem uitam professis in perpetuum. Desiderium, quod ad religionis propositum et ad animarum salutem pertinere monstratur, animo libenti nos decet concedere et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Eapropter, dilecti in domino filii, uestris iustis postulationibus clementer annuimus et beatae Dei genitricis semperque uirginis Mariae ecclesiam de Bernayo, in qua diuino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et praesentis scripti priuilegio communimus. Statuentes, ut quascunque possessiones, quaecunque bona eadem ecclesia in presentiarum iuste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, liberalitate regum, largitione principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis Deo propitio poterit adipisci, firma uobis uestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda uocabulis: dimidietatem eiusdem uillae Bernay et quidquid ad eandem dimidietatem pertinet in siluis et pratis et aquis, sicut diuisum est, et praeterea omnes ecclesias eiusdem uillae, Tursuam, Tillolum, Uallelias, uillam, quae dicitur sancti Albinus, et ecclesiam ipsius uillae, Fagetum, Logias, Curtonam cum suis appenditiis, ecclesiam cuiusdam uillae, quae dicitur Fraxines, et decimam, Clarogias, Fontanas cum campo, qui dicitur campus sancti Ermenoldi, sanctam Margaritam et decimam Spineti, sanctam Mariam de Braseio cum suis appendiciis, ecclesiam sancti Marcelli de Longa Uilla cum uineis et quadam parte decimae, ecclesiam Praesigneti

cum decimis et appendiciis suis et in uilla sancti Albini, quae dicitur Serlonis, particulam terrae et decimae, ecclesiam de Moyard cum decimis et appendiciis suis, ecclesiam de Bolber cum suis appendiciis et in nemore Iuliaebonae capellam sancti Marcelli cum quadam particula terrae et cum consuetudinibus suis, uillam, quae dicitur sancti Nicolai, Boscum Richardi, ecclesiam de Uilleres cum parte terrae et decimae in territorio Uexiniensi, quidquid iuris habetis in ecclesia de Ca(m)min, et uineas in eadem uilla et dimidiam terram, quae est de feudo Bigoti, apud Frascin(eium) unum hospitem et uineas, in Breuilla terram, hospites et partem decimae, in Anglia manerium, quod uocatur Gratingis, et aliud, quod uocatur Bredona, in Wergonensi territorio terram, quae dicitur Mora, prioratum Cy e cum omnibus pertinentiis suis, sicut secundum beati Benedicti regulam hactenus libere possedistis. Ea etiam, quae Galeranus comes Mellentis et Robertus comes Lecestrie et Henricus de Ferraris siue alii de uobis in feudo detinent, uobis nichilominus confirmamus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat eamdem ecclesiam temere perturbare aut eius possessiones auferre uel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet uexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salua sedis apostolice auctoritate et diocaesani episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens contra eam temere uenire temptauerit, secundo tertioe commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem ecclesiae iusta seruantibus sit pax domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant et apud districtum iudicem praemia aeternae pacis inueniant. Amen. Amen.

† Ego Eugenius catholice ecclesiae episcopus ss.

† Ego Conradus Sabinensis episcopus ss.

† Ego Theodewinus sanctae Rufinae episcopus ss.

† Ego Petrus Albanensis episcopus ss.

† Ego Gregorius presb. card. tit. sancti Calixti ss.

† Ego Thomas presb. card. tit. sanctae Uestinae ss.

† Ego Gilibertus card. presb. tit. sancti Marci ss.

† Ego Guido presb. card. tit. sanctorum Laurentii et Damasi ss.

† Ego Manfredus presb. card. tit. sanctae Sauinae ss.

† Ego Aribertus presb. card. tit. sanctae Anastasiae ss.

† Ego Uillanus presb. card. tit. sancti Stephani in Celio monte ss.

† Ego Gregorius diac. card. sanctorum Sergii et Bachi ss.

† Ego Guido diac. card. sanctorum Cosmae et Damiani ss.

† Ego Octauianus diac. card. sancti Nicolai in carcere Tulliano ss.

† Ego Rodulfus diac. card. sanctae Luciae ss.

† Ego Iohannes Paparo diac. card. sancti Adriani ss.

† Ego Gregorius diac. card. sancti Angeli ss.

† Ego Gerardus sanctae Romanae ecclesiae diac. ss.

† Ego Iacintus diac. card. sanctae Mariae in Cosmydyn ss.

† Ego Wido sanctae Romanae ecclesiae diac. card. ss.

Dat. apud ciuitatem Castellanam per manum Roberti sanctae Romanae ecclesiae presbiteri cardinalis et cancellarii VII° idus aprilis, indictione octaua, incarnationis dominice anno M°. C°. XL°. V°, pontificatus uero domni Eugenii III pape anno primo.